JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

G

Vartan Gregorian
EIGHTEENTH-CENTURY
BOOK FUND

14774

14774/38398

200 –
PRRin

JOB 18-294

A

O

cc

in

&

cu

pi

bu

ſia

re

ri

ne

tia

tia

M

ſic

ſe

ſe

D

—

*de*

*nu*

# OFFICIVM
# S. UBALDI
# EPISCOPI,
## ET CONFESSORIS.
## SEMIDUPLEX.

*A Sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum: & ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitandum die xvj. Maij.*

DIE XVI. MAIJ.

*In feſto ſancti Vbaldi Epiſcopi, & Confeſſoris.*

*Semiduplex.*

*Omnia de Communi Confeſſoris Pontif. præter Orationem, & Lectiones, quæ ſequuntur.*

ORATIO.

AUxilium tuum nobis Domine quæſumus placatus impende, & interceſsione beati Vbaldi Confeſſoris tui, atque Pontificis contra omnes diaboli nequitias dexteram ſuper nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

*In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ſecundo Nocturno.*

*Lectio iiij.*

VBaldus Eugubij in Vmbria nobili genere natus, à primis annis pietate, & litteris egregiè eſt inſtitutus. Iamque adoleſcens, vt vxorem duceret, ſæpè tentatus, numquam tamen

RPJCB



meo á propoſito ſervandæ virginitatis receſſit. Sacerdos effectus patrimoniũ ſuum pauperibus, & Eccleſijs diſtribuit, & Canonicorum Regularium Ordinis ſancti Auguſtini inſtitutum ſuſcipiens, illud in patriam tranſtulit, atque in eo aliquandiù ſanctiſſimè vixit. Cuius ſanctitatis opinione evulgata, ab Honorio Secundo Summo Pontifice Eccleſiæ, Eugubinæ præficitur, & Epiſcopalis conſecrationis munere decoratur.

℞. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo vnxit eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

*Lectio v.*

AD ſuam itaque revertens Eccleſiam, cum de conſueta vivendi ratione nihil admodum immutaſſet, in omni tamen virtutum genere eo magis eminere cœpit, quo efficacius aliorum etiam ſalutem verbo & exemplo procuraret: factus forma gregis ex animo. Nam victu parco, veſtitu moderato; lectulo aſpero, & pauperrimo, Crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore circumferebat, dum inexplebili orationis ſtudio ſpiritum quotidie recrearet. Hinc admirabilem illam manſuetudinem eſt adeptus; qua graviſſimas iniurias, & contumelias non modo æquanimiter tulit, verumetiam in mirifico dilectionis affectu perfe-

cu-

cutores ſuos, omni benignitatis teſtimonio complectebatur.

℟. Poſui adiutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo vnxit eum. Manus enim.

*Lectio vj.*

Biennio antequam ex hac vita migraret, cum diutinis affl ctaretur infirmitatibus, inter acerbiſſimos corporis cruciatus, velut aurum in fornace purgatum, Deo gratias indeſinenter agebat. Adveniente autem Sacro Pentecoſtes die, cum multis annis Eccleſiam ſibi commiſſam ſumma cum laude gubernaſſet, ſanctis operibus, ac miraculis clarus quievit in pace: quem Cœleſtinus Papa Tertius in Sanctorum numerum retulit. Eius virtus præcipué in effugandis ſpiritibus immundis elucet; corpus veró per tot ſæcula incorruptum magna fidelium veneratione in patria colitur, quam non ſemel à præſente diſcrimine liberavit.

℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrinâ eius repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iſte eſt qui cōtempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia regna. Ipſe intercedat. Gloria Patri. Ipſe intercedat.

*In tertio nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium.* Homo peregré proficiſcens. *de Communi Conf. Pontif. prim. loco.*

*Miſſa.*

JCB
18-295

*Officium S. Vbaldi Epiſcopi, & Confeſſoris.*

*Miſſa.* Statuit ei Dominus *de Communi Confeſſoris Pontificis. Oratio.* Auxilium tuum, *vt ſup.*

*AD enixas Epiſcopi Civitatis Eugubij inſtantias, & Civitatis prædictæ, ac P. Abbatis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium Procuratoris Generalis humillimas preces, ſupraſcriptas Lectiones cum Oratione proprias in Officio ſancti Vbaldi Epiſcopi pro ſecundo Nocturno ab omnibus vtriuſque ſexus, qui ad horas Canonicas tenentur, inpoſterum recitandas, ab Eminentiſsimo, & Reverendiſsimo Domino Cardinale Colloredo diligenter reviſas, atque relatas, Sac. Rituum Congregatio approbavit, ac imprimi poſſe, benignè indulſit, atque conceſsit. Die* 11. *Februarij* 1702.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ ſigilli.

*B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Sec.*

8

DIE M

BA700
C3630